

## CASUS VIII.

## DE PECCATIS INTERNIS 2°.

BLASIUS, in gaudium pronus, de rebus plurimis absque scrupulo delectatur, gaudet et gestit.

1° Gaudet de morte fratris, quia ipse solus hæres remanet.

2° Gaudet de morte filii quinquennis, ob ipsius felicitatem et familiæ sublevamen.

3° Gaudet ex eo quod die præcedenti ignoraverit urgere jejunium cum abstinentia, et sic absque peccato onus præcepti prætermiserit.

4° Gaudet et gestit cernendo mulieres plebeias inter se rixantes, convicia et verbera intorquentes et retorquentes. Gaudet pariter audiendo furtum ingenioso modo patratum.

HINC :

QUÆR. *Quid de gaudio BLASII in singulis casibus?*

SOLUTIO :

161. — *R.* BLASIUS in pluribus de gaudio tritari debet, modo tamen non de spontanea complacentia, sed de actibus plene deliberatis agatur; in cæteris fere cunctis excusandus.

1° Graviter peccat gaudendo de morte fratris, si de ea morte secundum se gaudeat, etiamsi id non faciat ex displicentia personæ, sed ex eo quod ipse solus paternam hæreditatem sit collecturus; quia non licet gaudere de damno alterius, et a fortiori fratris, ob emolumentum inde proveniens. Constat ex propositione 13<sup>a</sup> nec non et 14<sup>a</sup> damnata ab *Innoc. XI.* Non posset enim mortem fratris hac de causa desiderare; ergo neque potest de ea gaudere. Secus vero si non de morte fratris gaudeat, sed de effectu tantum secuto, scilicet de hæreditate sibi obveniente. *S. Lig. n. 21. — V. Comp. n. 173.*

2° Excusandus BLASIUS in secundo casu, quia ratio qua ducitur non destruit caritatis ordinem, siquidem bonum filii ipsius et totius familiæ intendit. At non item excusandus de gaudio ex hac morte concepto ob familiæ sublevamen; id enim revera esset contra ordinem caritatis. *V. Comp. n. 173.*

3° BLASIUS non peccavit *per se*, in tertio casu, seu gaudendo ex eo quod propter ignorantiam a præcepti molestia liberatus fuerit. Ratio est, quia gaudium, seu delectatio, non est de violatione legis, siquidem is noluisset eam infringere si eam novisset, sed de bono ex ignorantia legis obtento, quod culpa vacare potest, ubi objectum legis non est intrinsece malum. — Peccaret autem, si de ipsa præcepti violatione gauderet. *Lacroix, n. 86.*

162. — 4° Non peccat in quarto casu, quia non gaudet de re mala, sed de re admodum curiosa, etc.; seu potius gaudet de modo quo res peragitur

aut peracta fuit. Attamen, si gaudium esset de materia lubrica, timendum esset ne delectatio a modo in rem ipsam transiret. *V. Comp. n. 172, Nota 1°.* — *S. Lig. n. 48.*

## CASUS IX.

## DE PECCATIS INTERNIS 3°.

MARSILIUS peccare nollet, saltem graviter. Quapropter, desiderando quandoque res illicitas, sedulo apponit conditionem, nempe, si hoc vel illud malum non esset, v. g. : 1° die Veneris, ait : « Quam libentissime carnes hodie comederem, nisi lex Ecclesiæ obstaret! » 2° Alias auditur dicens : « Nisi peccatum foret, vellem ulcisci de inimico meo. » — Alias etiam dicit : « Si fornicatio prohibita non esset, eam admitterem. »

HINC :

QUÆR. 1° *An MARSILIUS peccaverit in primo casu?*

2° *An in secundo et tertio casu?*

SOLUTIO :

163. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* MARSILIUS in primo casu, excusandus est ab omni peccato; nulla enim culpa est desiderare esum carnis die prohibito, sub conditione si res prohibita non esset, quia, cum res non sit intrinsece mala, tota malitia conditione apposita aufertur. *S. Lig. n. 27.*

164. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* MARSILIUS peccavit, et quidem graviter, in duobus aliis casibus. Conditio enim apposita tollere nequit malitiam objecti, siquidem illud intrinsece malum est; insuper objectum intrinsece malum mutari nequit. Talia igitur optare, est desiderare ut lex et ordo naturæ mutetur, quod gravem induit deordinationem, et proinde grave peccatum. Attamen probabiliter excusandus est a peccato gravi ille qui nollet quidem ut id, quod intrinsece malum est, licitum fieret, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. Verum hoc ipsum etiam est periculis plenum, ut nemo non videt. *S. Lig. Hom. ap. tr. 3, n. 50. — V. Comp. n. 171.*

## CASUS X.

## DE SUPERBIA.

1° BERTHUSA, vana mulier, 1° sæpe nutrit et fovet superbiæ cogitationes, et ambit hominum laudes; 2° centies in die imaginem suam in speculo contemplatur; 3° pluribus diei horis in exornando corpore magna diligentia et cura vacat; 4° gloriatur quod cæteras totius viciniæ feminas ingenio, decore, ornatu, educatione et divitiis superet; quare eas ordinarie superbe et arroganter alloquitur.

2° BRIANDUS se jactat coram aliis : 1° quod a nemine in peritia equitandi superetur; 2° quod a viginti annis confessus non fuerit, nec Missæ inter-

fuerit; 3<sup>o</sup> quod mulieres quamplurimas seduxerit. Hæc et alia plura plerumque falsa, nec verisimilia, continuo et plenis quidem buccis decantare solet. Idem vehementer ambit dignitates, ex eo quod cæteros omnes dexteritate se excedere, aut saltem nulli secundum esse, firmiter sibi persuaserit

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quandonam superbia sit peccatum mortale?*  
 2<sup>o</sup> *An BERTHUSA graviter deliquerit in primo casu?*  
 3<sup>o</sup> *Quid de BRIANDO sentiendum?*

SOLUTIO :

165. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Licet superbia inter cætera capitalia peccata primum sit, non est tamen semper mortale peccatum, et sæpissime veniale non excedit. Distinguendum est enim inter superbiam perfectam et imperfectam. Prior sola mortalis est, et consistit in hoc quod homo adeo sibi complaceat, ut versetur in dispositione legem potius violandi, quam mandatis Superiorum obtemperandi. Imperfecta vero per se tantum venialis est, nisi accedat gravis injuria proximi. *S. Lig. n. 66.*

166. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* BERTHUSA peccavit, sane venialiter saltem, in singulis. Non videtur tamen per se mortaliter delinquere, nisi forte non dubitet potius peccare mortaliter, quam corporis cultum moderari. Hujusmodi mulier saltem magno periculo in mortale delabendi exponitur, et enixe est a Confessario ad humilitatem christianam adhortanda. *S. Lig. ibid.*

167. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* BRIANDUS non videtur peccare graviter, laudando et exaggerando peritiam ac dexteritatem suam; neque dignitates ambiendo, modo ad eas habilis fuerit. Sed graviter peccavit enarrando ea facta scandalosa et peccaminosa, tum ex eo quod gloriatur de gravi malo, tum etiam quia audientibus scandalum præbet. *V. Comp. n. 168-174.*

## CASUS XI.

### DE INVIDIA 1<sup>o</sup>.

PASCASIUS 1<sup>o</sup> sæpe tristatur de scientia et talentis aliorum, quia coram illis abjectior apparet. 2<sup>o</sup> Tristatur ex eo quod FULGENTIUS ad dignitatem fuerit promotus, quia novit ex communi fama quod ea indignus sit. 3<sup>o</sup> Tristatur quod CAIUS, ejus inimicus, adeptus fuerit quoddam officium, ex quo merito timet ne graviter sibi noceat. 4<sup>o</sup> Vehementer dolet dum videt emptores ad alias officinas divertentes, et suas merces negligentes. Imo aliquando præ tristitia exoptat ut mercatores alii cum emptoribus a mille diabolis rapiantur, et de medio auferantur.

HINC :

- QUÆR. *An graviter peccaverit PASCASIUS, eo quod de aliorum commodis in præfatis casibus tristatus sit?*

SOLUTIO :

168. — *R. ad 1<sup>m</sup> casum.* Difficile hic statui potest de gravitate culpæ, quin PASCASIUS sedulo examinetur. Si tristatur tantum de bono aliorum, ex eo quod inde abjectus apparet, non est proprie peccatum invidiæ; secus, si vere de commodis aliorum mœstitiam patiatur.

*R. ad 2<sup>m</sup> casum.* Tristitia hæc non est inordinata, cum ex bono fine concipiatur, nec est invidiæ peccatum. Caveat tamen, ne odium inde in ipsam personam exoriatur.

*R. ad 3<sup>m</sup> casum.* Non commissit peccatum invidiæ, quia hæc tristitia potius concipitur ex timore proprii damni, quam ex honore alterius. Cavendum tamen est a peccato invidiæ, quia facile subesse potest periculum ne inde etiam concipiatur tristitia de bono proximi, præsertim inimici.

169. — *R. ad 4<sup>m</sup> casum.* 1<sup>o</sup> Graviter peccat PASCASIUS, gravia mala aliis mercatoribus et emptoribus imprecando. 2<sup>o</sup> Graviter etiam peccat peccato invidiæ, si tristetur de bono notabili aliorum, ut facile evenit. Non foret tamen invidiæ reus, si non tristaretur nisi ex eo quod ipse non tantum percipiat lucri ac cæteri, quia tunc non tristaretur de bono proximi, sed de damno proprio; hic autem gravis deordinatio non reperitur.

## CASUS XII.

### DE INVIDIA 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> ERNESTUS, videns LOELIUM æstimari ob insignem suam pietatem, et extraordinaria Dei dona quæ in eo elucent, magnopere de hoc tristatur, ita ut magnam animi aversionem in eum experiatur.

2<sup>o</sup> VALESIIUS, quando cernit transeundo aliorum dominia, vel arbores fructibus onustas, dicit intra se: « Vellem ut hæc omnia mea essent. »

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An ERNESTUS graviter peccaverit in primo casu?*  
 2<sup>o</sup> *Quomodo judicandus sit VALESIIUS in secundo casu?*

SOLUTIO :

170. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* ERNESTUS graviter peccat ex invidia, quæ quidem dicitur *diabolica*, quando quis tristatur de donis spiritualibus a Deo alicui concessis. Careret autem peccato, saltem gravi, si tristitiam conciperet, non quidem de donis spiritualibus aliorum, sed eorum occasione, quia nempe ipse iis destituitur. Potest talis contristatio non tantum culpa vacare, sed esse virtus æmulationis vel zeli, et proinde laudabilis.

171. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* VALESIIUS graviter non peccat, quia mera complacentia in ficta possessione boni alieni non est peccatum mortale, modo periculum aut hypothesim injustitiæ non contineat. Excusandus autem foret ab omni invidiæ peccato, si non quidem hæc ipsa bona concupisceret, sed similia habere vellet, quia tunc nullum proximi detrimentum in sui favorem desideraret. Sed inutilia esse hujusmodi desideria nemo non videt, et subinde periculis non caret.

## CASUS XIII.

## DE AVARITIA.

DOMITILLUS, vir dives, valde sollicitus de augendo peculio, nullam occasionem acquirendi lucri negligit; paulo post ita lucro inhiat, ut consuetas devotiones negligat, et quærat, ut aiunt, pilum supra ovum; denique etiam non dubitat spe lucri Sacrum omittere festis diebus, pauperes dure a se repellere, uxori et filiis quam maxima parcimonia et ægerrime alimenta concedere, et sibimet ipsa vix necessaria ad vitam sustinendam indulgere. Confitendo autem dicit tantum: « Aliquando fui avarus. »

HINC :

QUÆR. 1° *Quandonam avaritia constituat mortale peccatum?*  
2° *An graviter peccaverit DOMITILLUS?*

SOLUTIO :

172. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Avaritia est peccatum mortale, quando adeo bonis temporalibus quis inhæret, ut, propter hæc, gravia præcepta omittat, aut injustitias graves patret; a fortiori, si finem suum ultimum in bonis hujus vitæ quasi reponere videatur. 2° Avaritia autem, quatenus liberalitati adversatur, peccatum veniale non excedit.

173. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* DOMITILLUS, ut ex casus expositione liquet graviter certe peccavit. Ergo minime confessionis integritati satisfacit, dicendo tantum se aliquando avarum fuisse. Debet igitur exprimere tum an graviter et quoties contra misericordiam erga pauperes, vel contra justitiam in uxorem et filios deliquerit; tum quot Sacra diebus festis omiserit; necnon alia omissionis gravia peccata, quibus propter avaritiam se forte inquinavit. Attendat etiam ad contritionem, et propositi firmitatem, quæ in hujusmodi hominibus sæpe desunt; quare nil mirum, si tam raro hi vitam in melius mutant.

## CASUS XIV.

## DE IRA.

HERMANUS, animi excandescentis, et iræ impotens, blasphemias et imprecationes in omnibus sermonibus et negotiis miscere solet, modo uxorem, modo filios, modo alios domesticos vel operarios increpando, objurando, conviciis et nominibus probrosis lacessendo. Si solus sit, irascitur in seipsum, vel contra animalia, aut operum instrumenta, quæ cunctis devovet diabolis. Confitendo autem tempore paschali dicit tantum: « Aliquoties iracundus fui et signa impatientiæ dedi. »

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quando ira peccatum grave constituat?*  
2° *An graviter in his peccaverit HERMANUS; et an ejus confessio sufficiat?*

SOLUTIO :

174. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictæ. Venialis tamen est *per se*, si sit tantum motus animi inordinatus. Gravis autem evadere potest propter violationem alterius virtutis, v. g. pietatis, vel caritatis, etc., tum etiam si ejusmodi animi motus sit vere vehemens et deliberatus.

175. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Ambigendum non est quin HERMANUS sæpius peccati mortalis reus evadat, non solum propter blasphemias in Deum, vel imprecatione in homines, sed etiam propter animi gravem excandescentiam et perturbationem, modo sufficiens adfuerit advertentia. Neque propter consuetudinem iracundiæ excusandus est, quippe qui consuetudinem voluntarie fovet, quin eam imminuere et eradicare conetur.

Hinc patet quantum HERMANI confessio imperfecta sit. Præ oculis igitur ei semper habendum esset illud *Job* v. 2: *Stultum interficit iracundia*; et illud Apostoli (*Rom.* XII. 21); *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Discat ab Ausonio poeta hanc eximiam praxim, his expressam versiculis:

*Irasci promptus, properavi condere motum,  
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.*

## CASUS XV.

## DE EBRIETATE 1°.

GAUDIOSUS, vir in poculis exhauriendis admodum impiger, sæpius cum aliis bibulis pluribus horis continuis potitare solet. Diebus præsertim Dominicis sub vespere usque ad mediam noctem in cauponis compotationem protrahit, combibones ad æquales haustus provocando. Ipse, cæteris in vino sustinendo potentior, nunquam rationis usum abjicit, licet capitis gravamen experiatur, pedibusque aliquando titubantibus incedat. Cum sociis autem potitando in blasphemias erumpere, verba graviter turpia proferre, vel obscenas cantilenas decantare solet, uti bibulis mos est.

HINC :

QUÆR. 1° *An graviter peccare soleat GAUDIOSUS?*  
2° *An absolvi possit, quin cauponas derelinquat?*

SOLUTIO :

176. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Communiter admittitur a theologis non committi peccatum mortale, ratione ebrietatis, nisi in privatione voluntaria et perfecta rationis. Unde *per se* de peccato mortali non est arguendus GAUDIOSUS, licet plus aliis biberit. Dixi *per se*, seu ratione ebrietatis; nam graviter peccat, si alios ita ad bibendum provocat, ut eorum ebrietati graviter et efficaciter cooperetur.

177. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Distinguendum est. *Per se*, ratione ebrietatis, absolutio non esset bibulo deneganda, cum, ex dictis, non soleat penitus inebriari, adeoque sub illo respectu neque graviter peccet. Verum, inspectis

aliis circumstantiis, sæpius peccat mortaliter GAUDIOSUS; et proinde in occasione proxima peccati versatur. Etenim non raro peccatorum sociorum fit particeps, prout in casu. Quapropter GAUDIOSUS absolvendus non est, nisi cauponas deserat, etiamsi minime inebrietur.

## CASUS XVI.

## DE EBRIETATE 2°.

GAUDENTIUS modico vini poculo inebriatur. Cum autem occasio bibendi in cauponis frequenter recurat, ipse non raro in statu ebrietatis versatur. Plerumque, cum vino caperetur, quieto somno se dare solebat; quadam tamen die, furore abreptus, vas crystallinum valde pretiosum TITHI confregit. Ecce, dum exercitia spiritualia a Missionario traderentur, eum adit GAUDENTIUS, confitendi causa. Renuit autem Missionarius GAUDENTIUM absolvere, nisi restituat pro damno a se in statu ebrietatis illato, et per duos menses saltem nullam ingrediatur cauponam. Utrumque denegat GAUDENTIUS, ideoque non absolutus discedit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An graviter peccet GAUDENTIUS?*  
 2° *An teneatur ad damni illati reparationem?*  
 3° *An recte egerit Confessarius?*

SOLUTIO :

178. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* GAUDENTIUS a peccato gravi excusari nequit: novit enim, longa et lugenda experientia, se facile modico vino in ejusmodi consortiis inebriari; debuit igitur a vino omnino abstinere, vel saltem illud notabili aquæ copia temperare, vel consueta consortia effugere. Secus vero dicendum esset, si raro, et quasi casu fortuito, præter expectationem et prævisionem inebriaretur.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* GAUDENTIUS non est obligandus ad restitutionem; constat enim ex cassu, damnum in ebrietate patratum eum non prævidisse. Ergo damnum illud non fuit voluntarium, neque in actu, neque in causa; ergo defuit culpa theologica; ergo in foro interno restitutio urgeri non debuit.

179. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Confessarius non debuit urgere restitutionem pro damno in ebrietate illato, ut sequitur ex modo dictis; sed recte egit absolutionem GAUDENTIO denegando, nisi media proposita ad ebrietatem vitandam abhibere vellet. Tantum abest ut severius egerit erga GAUDENTIUM, quod mitius e contrario eum tractavit, jubendo ut tantum per duos menses ab ingrediendis vinariis tabernis abstineret. Prudenter quidem egit, si pœnitens ante temporis præfixi finem ad ipsum esset rediturus, ne amariori medicina deterreretur. Sed quam difficillime hujusmodi bibuli emendationem consequuntur, quantumvis promittant! Ne desperet tamen Confessarius, et hujusmodi pœnitentes ad frequentiore confessionem, in quantum fieri potest, adducere conetur.

## CASUS XVII.

## DE EBRIETATE 3°.

1° ROMARINUS, medicus, ægrotis instar remedii, seu ad humores prævios depellendos, vinum valde generosum aut certum liquorem potandum præbet, cum evidenti ebrietatis periculo, ut experientia ipsi constat.

2° HYPARCUS, etiam medicus, quoties operationem aliquam artis suæ difficilem faciendam habet, v. g. amputationem membri, ministrat patienti largum potum liquoris inebriantis, vel notabilem opii vel ætheris quantitatem, ita ut extra sensus omnino rapiatur, nullumque dolorem sentiat.

3° ALBINUS BLASIIUM amentem, jocandi causa, largiori potu in ebrietatem inducit, nec putat se male agere, cum iste jam usu rationis careat.

HINC :

- QUÆR. 1° *An aliquando ebrietatem, ex causa gravi, aliis vel sibi procurare liceat, sive directe, sive indirecte?*  
 2° *Quid de ROMARINO in primo casu, et de HYPARCO in secundo casu?*  
 3° *An peccet quis graviter, amentem inducens in ebrietatem?*

SOLUTIO :

180. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1° Nunquam licet ebrietatem directe intendere et procurare, sive in se, sive in aliis, quia hoc est intrinsece malum, ut patet; at licet aliquando, ex gravissima ratione, illam procurare indirecte, vel potius permittere, ponendo causam indifferentem vel bonam, ex qua securus est effectus duplex, unus quidem malus, permissus, seu ebrietas, et alter bonus, unice intentus, v. g. vita servanda. *V. Comp. de Act. hum. n. 9.*

181. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* 1° Non peccat ROMARINUS, in primo casu, si remedium ab ipso adhibitum sit necessarium ad morbum depellendum. Sequitur ex dictis. Secus, si alia remedia efficacia habeat; quia jam deest ratio sufficiens ad causam effectus mali ponendam, nec proportio inter effectum bonum et effectum malum datur.

2° In secundo casu, quoad usum opii vel ætheris HYPARCUS non est arguendus, quia hoc adhibet tantum ad sensus consopiosos; ideo, his mediis, non ebrietatem, sed somnum, seu gravem soporem inducit.

Peccat vero graviter HYPARCUS, juxta *S. Lig.* et alios communiter, liquorem inebriantem ægroto propinando, quia directe ebrietatem intendit ut medium ad operationem artis suæ peragendam ita ut bonum non oriatur nisi ex malo: *non sunt autem unquam facienda mala ut eveniant bona.* — At, juxta quosdam, non peccat sic agendo HYPARCUS, quia per hoc directe non intenditur ebrietas: nam effectus *directe intentus* est sensuum sopor, et effectus *mere permissus* est privatio rationis; jam vero privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrinsece malum; et sicut adhibetur in tali casu opium et æther, ita etiam vinum adhiberi posset.

182. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Non peccat graviter, *per se*, ille qui amentem inducit ad excessivum potum, unde sequitur ebrietas, vel potius sequeretur, si amens non esset. Ratio est, quia fatuus, utpote jam usu rationis destitutus, nequit amplius se privare usu rationis, sicut cæcus non potest se privare potentia visiva: atqui, si fatuus non tenetur lege se non inebriandi, neque ille qui ei potum excessivum præbet contra hanc legem peccat. Dixi *per se*, quia si amens, post potum excessivum, soleat erumpere in blasphemias, et id sciat qui ad bibendum eum induxit, graviter hic peccabit contra legem naturalem; quia fatuus eam materialiter violat, cum ei in actu primo subjectus sit. *V. Comp. de Leg. n. 92. — Elbel, n. 769.*

## CASUS XVIII.

DE EBRIETATE 4<sup>o</sup>.*Capientes bifariam capti.*

UGOLINUS, die quadam in domicilio aggressus a duobus latronibus armatis, tempore noctis, mortemque indeclinabilem prævidens, sponte offert invisis hospitibus non solum numerosam pecuniam, sed etiam largissimum vini maxime generosi potum, cum aliis eximiis et validissimis liquoribus. Bibunt impigri nebulones, et mox jacent penitus ebrii. Tunc UGOLINUS, recuperata primum pecunia, advocatoque auxilio, latrones, ligatis manibus pedibusque, satellitibus tradit.

HINC :

QUER. *An de gravi peccato damnandus sit UGOLINUS, ex eo quod causam ebrietatis posuerit?*

SOLUTIO :

183. — *R. Neg.* Etenim posuit causam indifferentem, vinum scilicet et liquores ante latrones apponendo, nec eos ad ebrietatem induxit, sed tantum eam permisit gravi de causa; et effectus bonus quem intendit, malum effectum bene compensat. Nec dicas UGOLINUM non obtinere effectum bonum, seu vitam incolumem a latronibus servare, nisi per malum effectum, seu per ebrietatem: nam primum is intendit nebulones illos sedare et compescere, et eorum furor in vino extinguere. Præterea, ipse ponit occasionem ebrietatis, non vero causam necessario effectum producentem, siquidem latrones bibere possunt quin inebriantur; neque ad bibendum eos cogit, sed libere bibunt. Ergo UGOLINUS homines non induxit ad ebrietatem, sed tantum ad bibendum. Ergo ebrietatem non excitavit, sed tantum permisit. *S. Lig. n. 77*, ubi ostendit etiam esse licitum inducere alium ad minus malum ut a majori impediatur. — *V. Comp. n. 183.*

## CASUS

## DE VIRTUTIBUS ET VITIIS OPPOSITIS

## SEU

*De Fide, Spe et Caritate erga Deum et proximum; de operibus misericordiae, seu de eleemosyna et correctione fraterna; de scandalo, de choreis et spectaculis; de cooperatione.*

## CASUS I.

## DE SCIENDIS ET CREDENDIS.

SIMPLICIUS, homo rudis, dum apud MACARIUM Parochum confitetur, de necessario sciendis et credendis interrogatus, valde ignarus reperitur: nescit enim Fidei Symbolum recitare, nec rationem reddere de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, etc. Confessarius autem indignabundus pœnitentem objurgat et increpat, velut hominem salutis suæ nimis incuriosum, et, denegata absolutione, eum dimittit, usquedum ea quæ ad salutem sunt scitu necessaria sciverit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quænam ut scitu necessaria habeantur?*

2<sup>o</sup> *An possint absolvi ignorantes Symbolum, mandata Decalogi, mysteria Trinitatis vel Incarnationis Domini, vel hæc quidem scientes, sed nihil intelligentes?*

3<sup>o</sup> *Quid de agendi ratione MACARII?*

SOLUTIO :

184. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Quoad necessario credenda, scire oportet imprimis ea quorum cognitio et fides sunt de necessitate mediæ ad salutem, scilicet Deum unum et remuneratorem, seu finem ultimum; deinde mysterium SS. Trinitatis, mysterium Incarnationis D. N. J. C. Hæc duo mysteria sunt quidem scitu necessaria, saltem de *necessitate præcepti*; controversatur autem utrum hæc scire oporteat absolute de *necessitate mediæ*. Difficultas hæc est fere speculativa, cum in praxi illa cognitio omnino requiratur, saltem ex præcepto gravissimo. Insuper scire quis debet præcipua Fidei capita, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, saltem quoad substantiam, licet necesse non sit absolute ut memoriter eorum formula teneatur, neque ratio de singulis explicite reddatur. *V. Comp. n. 194 et seq.*

2<sup>o</sup> Quoad regulam vitæ, scire opus est præcepta Decalogi et Ecclesiæ præcipua Sacramenta, seu Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ, et cætera quando suscipienda sunt. Adde Orationem Dominicam, saltem quoad substantiam. *V. Comp. n. 201.*